

INTEGRORVM.

33

faciunt quoque 5. vt in cruce ad sinistram superioris exempli posita apparet.

Cæterum vtrumque hoc examen fallax esse potest, si quis per calumniã numeros permutet, aut alios numeros apponat, quemadmodum in additione diximus.

TERTIVM examen fit per additionem. Nam si numerum residuum subtracto numero adijcias, necessario componetur numerus, à quo subtractio facta est: vt in hoc exemplo vides.

Tertia p-
batio suo-
tractiõis
per addi-
tionem.

Numerus, à quo fit subtractiõ.	60123.
Numerus subtractus.	45678.
<hr style="border-top: 1px solid black;"/>	
Numerus residuus.	14445.

Summa ex numero subtracto, & residuo composita, æqualis numero, à quo facta est subtractio.

QVARTVM examen fit per subtractionem. Facta enim subtractione; si residuum ab eodem numero, à quo facta est subtractio, auferas, supererit necessario numerus subtractus. Vt in proximo exemplo, si numerum residuũ 14445. ex numero 60123. detrahas, reliquus erit numerus subtractus 45678. vt hic apparet.

Quarta p-
batio sub-
tractiõis
per sub-
tractio-
nem.

60123
14445
<hr style="width: 50%; margin: 0 auto;"/>
45678

Hæc posteriora duo examina certissimã sunt, nullamque admittere possunt fallaciam, aut fraudem.

C MVL-